



IOannes ex nobili familia natus est anno 1468. In adolescentia sua summa diligentia operam literis dedit, atq; in Academicis se talem exhibuit, ut Legum Doctor crearetur. postea quoq; Cæsarum castra secutus, magnam laudē in bellis acquisiuit, ita ut ob uirtutes eques auratus constitueretur. Erat enim robusto corpore atque magna prudentia conspicuus. Itaq; Carolus et Ferdinandus Cæsares eum plurimū dilexerunt, & in suū senatū cooptarunt, cum prius & Fœderi Sueuico & Austriæ ducibus à consilijs fuisset. In tali existimatione constitutus Ioannes plurimas legationes ad pontificem, atq; reges Hispaniarum & Galliarum obiuit, atq;

magna laude perfecit. Cum hoc modo ueneranda canitie domi & foris magnam authoritatem consecutus esset, tandem ætatis anno 75, salutis uerò nostræ 1543 die ultimo Iunij obiit, & in monasterio Elchingen, ad Danubium infra Ulmam sito, honorificè sepultus fuit. quem etiam paulo post Orilia uxor secuta ibidem terræ mādatur. Cum autem postea 1546 Smalkaldicum bellum exortum esset, huius uiri sepulchrum, qui fidelem semper operam Cæsari exhibuisset, à quibusdam rerum imperitis destruitur, atq; tandem ab ipsius filijs anno 1550 restituit, cū tali statuę inscriptione, quā ipse 1565 legi, & hic annotaui.